DISPUTATIO POLITICA
De
CLERICORUM SUBJECTIONE

Contra Bellarmin. lib. de Cleric. c. 28.

Quam

Deo ter Opt. Max. annuente

PRO LOCO

In Ampliſs. Collegio Philoſophico benevolè ſibi conceſſo

M. IOHANNES OLEARIUS

Hallenſis Saxo, Facultatis Philoſoph. Adjunctus

Reſpondente

JOHANNE DÜRRIO Dreſdâ Miſnico Alumn. Elect.

ventilandam proponit

in Auditorio majori ad diem 31. Martii

horis antemeridianis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI Siegel.

Anno MDCXXXVI.

378

VIRIS

Admodum Reverendo, Excellentiſſimo, Clariſſimo,

DN. JACOBO VVELLERO,

S S. Theologiæ Doctori, & ejusdem in Academiâ Leucoreâ Profeſſori extraordinario,

UT ET

Clariſſimo Eximio, atq; doctiſſimo Dn.

M. JOHANNI ERICO OSTERMANO,

Ampliſſimæ Facul: Phil: Adjuncto digniſſimo,

Præceptoribus, Promotoribus, ac Fautoribus ſuis perpetuæ obſervationis cultu devenerandis.

In debitæ gratitudinis

σύμβολον.

offert

Reſpondens.

I. N. J. A.

QUanquam virtus adeò ſuos cultores ſibi devinciat, ut etiam in hoſte laudem pariter & amorem mereatur: Ideo & laudes ſuas, quibus tum â domeſticis tum ab aliis ornatus fuit Robertus Bellarminus, ei haud equidem invidemus(qn. v. g. præter ea quæ ex *Pappo*, *Iunio*, *Wittakero Danæo* &c. collegit *Gretſerus in Epiſt. de ſectariis, qui adverſus primam Bellarmini controverſiã aliquid tentarunt*, *Cornelius â Lapide in encomio Scripturæ comment n. 38. ait. Ex Scripturâ omnes hæreſes revicit & jugulavit ſolidè & exactè Illuſtris. Bellarminus, fidei hyperaſpiſtes & hæreſium ſtrator in ſuis controverſiis, quod opus proinde impenetrabile eſt & incomparabile, nec â Chriſti temporibus hucusq; ſimile in hoc genere vidit Eccleſia, ut meritò veritatis Catholicæ murus & antemurale vocari poſſit.* Namjuxta *Baron. tom 1. annal.* ex *Cantic. 4. 4. eſt inſtar turris David cum propugnaculis ex qua mille pendent clypei, & omnis armatura fortium*)

Nihilominus tamen, cum non modò ejus ſocii paſsim Lutheranos vocent cereviſiarios, ut *Gretſerus l. d.* [*genus ſcribendi ingreſſus fuerat Hunnius planè Lutheranum, h. e. thraſonicum, jactabundum furioſum, fermè dixeram Cereviſiarium*] Zeloſos ex ignorantia. *Becanus in prælud. manual.* §. 3. cœcos & duces cœcorum. *Tanner in Antimylio.* Verum ipſe etiam Bellarminus Lu-

theranis controverſias tractantibus ebrietatem tribuat. ut *Chemnitio 2. V. D. c. 12. §. Septimus eſt, & Magdeburgenſibus l. 4. R. Pont. c. 8. §. Nonus.* [*Confer l. 5. de gratia c. 29. §. 3. ubi Lutheri argumenta ſatis inepta ac pinguia eſſe dicit. & l. 2. de B. oper. in partic. c. 6. §. 5. quod Phil. Melan. de jejunio dixerat, totum ineptum & vanum appellat*] quippe qui ſubtilitatem diſputationum contemnant *l. 1. de Euchar. c. 9. §. Nec habent.* atq; in rebus philoſophicis & ab ipſis Ethnicis luculenter expoſitis delirent *2. de juſtific. 7. §. 2.* regulas Ariſtotelis non intelligant. [*de Chemnitio*] *3. Euchar. 19. §. ad illud* Ideo æquum eſt, præter hæreſes à Theologis ſufficientiſſimè refutatas, errata etiam Philoſophica obſervare, ut quod ipſe aliis imputat, ab eo nequaquam alienus eſſe oſtendatur. Quod cum in aliis, Metaphys. Phyſic. Ethicis &c. manifeſtum, ita vel maximè in Politicis patet, unde unicum hac vice expendemus *è cap. 28. libri de Clericis*, de quorum ſubjectione quanto acumine philoſophico diſſerat, ex ſequentibus patebit aſſertionibus. Sit ergo in nomine JESU

ASSERTIO I.

Omne membrum Reipub. ſubeſt Magiſtratui Politico, eidemq; debet obedientiam.

§. 1. Omne enim membrum caput ſuum reſpicit. & *juxta Bellarm. lib. de monachis c. 19. §. ult. Omne membrum ſubjectum eſſe debet capiti.*

§. 2. Qui verò in Rep. vivunt, vel *propriè* dicta ſunt membra, vel *minus.*

§. 3. *Impropriè* dicuntur membra *partim peregrini* (olim, hoſtes *Feſto de V.* S. Confer *Pompon. l.* 118. *de V. S. Ciceron. contra Rull. & 1. offic. Varron. l. 4. de L. L.*) ſive hoſpites, qui in alienâ verſantur Repub. ubi nec domicilium habent, nec eius pars ſunt.

§. 4. *partim incolæ* (*quos Pompon. l.* 239. *de V. S.* vocat παροίκους, quaſi juxta habitantes. *Camerar in* 5. *Polit. cap.* 3. συνοίκους quaſi cohabitantes, quales in Ægypto fuiſſe Judæos teſtatur *Philo. lib.* 1. *de vitâ Moſis*) qui nondum omni civitatis gaudent jure, nec politeuma poſſident, nec Reipub. participes, nec ad publicas deliberationes admittuntur, ſed tantùm civilia munera ſubire tenentur. uti id probant ICti ex *l. Non tibi l. eſt verum cum ſeqq. Cod. de incol.* Qui enim à Repub. ſentit lucrum, æquum eſt, ut proeâdem ferat incommodum.

§. 5. *Propriè* verò *membra* dicuntur veri & proprii ſubditi, qui ſunt partes Reipub. quæ ſummæ poteſtati quoad omnia ſua obligantur, & pro eo omnibus juribus & privilegiis Reipub. viciſſim fruuntur.

§. 6. Removemus ergo h. l. *Cives* quos vocant *honorarios*, quibus præter nomẽ civitatis nihil communicatur. quomodo à Romanis civitas oblata cenſetur Gallis, ex *Tacito. lib.* 11. *annal.* Alexandro M. à Corinthiis, ex *Senec.* 1. *de benefic. c.* 13. Demetrio ab Athenienſibus ex *Plutarcho in Demet.* quod etiam de Pomponio Attico ex *Corn. Nepote* alii aſſerunt, licet ex eodem Nepote contrarium videatur veritati magis eſſe conſentaneum.

§. 7. Quid Magiſtratus nomine veniat, explicat *Ariſtoteles lib.* 4. *Politic. c.* 15. *Tholoſanus, Bodinus* & Politici paſſim. Confer Excell. Dn. D. *Jac. Mart. l.* 2. *Politic. c.* 29. *Gerbard de Magiſtrat. c.* 1. §. 5. *ſeqq.*

§. 8. Subeſſe autem Magiſtratui membra Reipub propriè dicta, patet ex *Ariſtot.* 3. *Politic. c.* 15. quia ſcilic. poteſtas maximè in Magiſtratu requiritur.

§. 9. Unde præter honorem & reverentiam obedientia ſponte fluit, quam inſuper ex mandati divini ſeveritate, Magiſtratus ipſius dignitate, eximiâ utilitate, extremâ neceſſitate, poenarumq; gravitate paſſim probant alii.

§. 10. Ad quam promptitudinem voluntatis interiorem, ſincerum amorem, filialem timorem; itemq; fidelitatem, officiorum externorum honeſtati conformitatem, πολυπραγμοσύνης evitationem, & alia requirere ſolent.

§. 11. Licet verò nequaquam bruta & abſoluta aſſeratur obedientia, ſed certo modo, videl. ex lege divinâ, pietate & conſcientiæ libertate limitata & determinata, conſentiente *Thoma 2. ſecundæ q.* 104. *arti c.* 5. ubi hanc concluſionem ponit: *Subditi in iis tantummodò ſuperioribus ſuis obedire tenentur, in quibus ipſi ſuis ſuperioribus ſubjiciuntur, & in quibus ipſi ſuperiores ſublimioris poteſtatis præcepto non adverſantur* (cum quo quomodo *Tanneri* aſſertio *in Colloq. Ratisbon. ſeſſion. 9. quod in dubio ſequi teneatur ſubditus ſententiam licet erroneam ſui Magiſtratus*, conciliand, ipſe viderit)

§. 12. Quodipſum 1. ex Scripturæ interdictis 2. piorum exemplis 3. divinis præmiis 4. reprehenſionibus 5. ex inconvenientiâ. 6. parentum analogiâ 7. Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ & Patrum ſuffragio probat Rev & Excel. *Dn. D. Gerhardus de Magiſtratu* §. 474. *ſeqq.*

§. 13. Nihilominus tamen ea pro ſubditorum diverſitate adeo non coarctanda, ut omni moda exemtio vel verbalis tantùm ſubjectio inferatur. Quod inprimis luculenter oſtendit *Barclajus in lib. de poteſtate Pontificis* & alii infra citati aſſertione 2. vid. *§. 9.*

§. 14. Nam peculiare, quod ſubditus aliquis gerit, officium, non tollit Politicum, quo civili ſocietati obſtrictus eſt, vinculum, *vid. Barclajus in lib. de poteſt. Pontificis c. 2 & 3. ubi ex Bernhardo l. 1. conſider. ad Eugen. Driedone. 2. de libert. Chriſt. c. 2. Hoſio*, & aliis probat, duas illas poteſtates, quibus mundus in officio continetur, Eccleſiaſticam ſcil. & Politicam, ita jure divino diſtinctas & ſeparatas eſſe, ut quamvis ambæ à Deo ſint, utraq; ſuis terminis concluſa in alterius fines invadere ſuo jure nequeat, neutriq; in alteram imperium ſit.

§. 15. Nec perſonæ & fortunæ, ſive facultates ut vocant, temporales temerè confundendæ.

§. 16. Nec immunitas aliqua ſpecialis ſive partialis, certomodo

tô modo limitata & reſtricta, pro generali, totali & indeterminatâ habenda.

ASSERTIO II.

Omnis Clericus eſt membrum Reipublicæ.

§. 1. Per clericos h.l. intell. perſonas, quæ aliàs Eccleſiaſticæ dicuntur, quibus quo fine & jure in Papatu nomen cleri tribuatur, ex *Gregorio de Valentiâ* conſtat *Tom. 4. diſ. 6. q. 5. punct. 2. Bellarmino l. de cleric. c. 1. & B. Meiſnero p. 2. ph. ſob. ſect. 1. c. 2. q. 10. Gerhardo de miniſter.* §. 37. 38. *Alſtedii ſupplemento Panſtrat. Chamier. lib. 4. c. 2.*

§. 2. Eſſe autem Clericum membrum Reip. operoſâ probatione h. l. non indiget, cum is contra quem agimus, *Bellarminus* ipſe hoc concedat *l. de cleric. c. 28.* Ubi hanc format propoſitionem ſecundam: *Non ſunt exemti clerici ab obligatione legum civilium, quæ non repugnant ſacris canonibus, vel officio clericali. & addit: Loquimur hîc potiſſimum de legibus Politicis, quæ dirigunt actiones humanas in comerciis temporalibus &c. Nam clerici præterquam quod clerici ſunt, ſunt etiam cives & partes quædam Reip. Politicæ,* ›› (E. & membra. vid ſup. *aſſert* 1. *§. 1. ſeqq.*) *igitur ut tales vivere* ›› *debent civilibus legibus. non ſunt autem aliæ, ut nunc ponimus, niſi,* ›› *quæ à Politico Magiſtratu ſunt latæ, igitur illas clerici ſervare debent.* ›› *alioqui magna perturbatio & confuſio* Reipub. *oriretur,* ſi *Clerici non ſervarent civiles leges in commerciis civilibus & humanis.* Ubi non tantùm id quod quærebatur, aſſerit, ſed etiam rationem ab incommodo & periculo addit.

§. 3. Ne verò fruſtra videantur hæc adduci ideo, quod Bellarm. ſtatim diſt. inter obligationem coactivam & directivam & priorem removendo hanc ſolùm ponat hoc ſenſu: *niſi eædẽ leges ab Eccleſiâ approbatæ fuerint. Quodſi de iisdem temporalibus rebus diſpoſuiſſet etiam lex Eccleſiaſtica, eam ſequi deberent clerici, & nunc legem civilem ne directivè quidem obſervare tenerentur.*

§. 4. Ideo Reſp. 1. Hanc ipſam limitationem ex veritatis Politicæ profluere ignorantiâ (confer ea quæ in noſtris taxat, citata *in proœmio*) quod ex *aſſertione* 1. ejusq; expl. manifeſtum.

§. 5. Reſp. 2. Eandem cum turpiſsimâ contradictione eſſe conjunctam. Nam *in ſeqq. c. 29. §. ult.* ita loquitur. *Caro nullum habet*

,, *imperium in ſpiritum, neq; eum ullâ in re dirigere, vel judicare, vel*
,, *coercere poteſt. Sic igitur poteſtas Eccleſiaſtica, quæ ſpiritualis eſt, ac*
,, *per hoc naturaliter ſeculari ſuperior, ſecularem poteſtatem, cum opus*
,, *eſt dirigere, judicare & coercere poteſt; ipſam verò â ſeculari dirigi,*
vel judicari, vel cöerceri nullâ ratione permittitur.

§. 6. Idem elucet *ex c.* 30. *ejusdē libri*, quando ea quæ *Didacus Covarruvias & Johannes Medina* in contrarium diſputarunt, ſolvere conatur, ubi §. *ult.* concedit *: quod Lex Evangelica & Baptiſmus non excludant; imò neceſſarium eſſe velint principatum civilem.* nihilominus addit. *Sacerdos nullo modo filius vel ovis principis dici poteſt.* Quomodo ergo vel directivè vel coactivè? *vid. ſup. §.* 2.

§. 7. Probatur autem aſſertio noſtra ex eo, quia Eccleſia ſuo modo eſt pars Reipub. & religio debet eſſe in Republ. non contra, quam *Optati* ſententiam approbat *Soto* 4. *diſt.* 25. *q.* 2. *art.* 2. ubi clericos, licet ſacrorum miniſterio ſint addicti, veros tamen eſſe cives concedit. Conſentit *Molina* qui *tract.* 2. *diſp.* 32. *in fin.* Clericos nominat partes Reipub quibus ſit idem Rex & rector cum laicis *Confer Bellarm. c.* 35. *contra Barclajum. & ſup.* §. 2.

§. 8. Omnes v. Reipub. partes legibus debere obedientiam & Reip. fidem, ex *aſſertione* 1. patet, quod ne ipſum quidem *Jus Canonicum* negare audet. ſed fatetur, quod non deceat membra, ut â capite diſcrepent & contraria gerant. *C. celebritatem d ſt.* 3. *de Conſecrat.* turpis enim omnis pars univerſo (toti) ſuo non congruens. *C. quæ contra diſt.* 8.

§. 9. Imprimis vero notanda, quæ hac de re *Thomas diſputat*, qui 2. *ſecundæ. q.* 104. *artic.* 1 hanc format concluſionem : *Uti in naturalibus inferiora ſuperiorum motioni ſubjiciuntur, ita in humanis ex ordine naturalis ac divini juris tenentur inferiores ſuis ſuperioribus obedire.* & artic 6. *Cum per fidem Chriſti firmetur magis quam tollatur juſtitiæ ordo, neceſſarium eſt, ut Chriſti fideles ſecularibus poteſtatibus ſubjiciantur.* idq; ex Tit, c. 3. & 1. Pet. 2. probat. In explicatione v. addit : *Fides Chriſti eſt juſtitiæ principium & cauſa, & ideo per fidem Chriſti non tollitur ordo juſtitiæ, ſed magis firmatur. Ordo autem juſtitiæ requirit, ut inferiores ſuperioribus obediant. aliter*

enim

non poſſet humanarum rerum ſtatus conſervari. Et ideo per fidem Chriſti non excuſantur fideles, quin principibus ſecularibus obedire teneantur. Deinde in Reſpouſione ad rat. 1. contrariam, inter ſervitutem ſpiritualem peccati, & corporalem, qua temporalibus Dominis tenentur adſtricti etiam Chriſtiani, diſtinguit. Tandem in Reſponſione ad object. 3. *ex Auguſt. l. 4. C. D. c. 4. regna remotâ juſtitiâ non eſſe, niſi magna latrocinia*; dicit: *Principibus ſecularibus in tantum homo obedire tenetur, in quantum ordo juſtitiæ requirit. Et ideo, ſi non habeant juſtum principatum*, (quod tamen cum grano ſalis accipiendum(*ſed uſurpatum, vel ſi injuſta præcipiant, non tenentur eis ſubditi obedire, niſi fortè per accidens, propter vitandum ſcandalum vel periculum.* Confer ſup. *aſſert.* 1. §. 11. *ſeqq.*

§. 10. Eandem veritatem I. â generali obedientiæ mandato 2. â Sacerdotum in V. T. 3. â Chriſti ipſius in N. T. exemplo. 4. â Pauli Apoſtoli facto. 5. ex rationum momento. (ſcil. 1. â Clericorum ſtatu. 2 ab incommodo. 3. â charitatis præſcripto. 4. ab immunitatis conceſſæ variatione. 5. â legis Evangelicæ conditione)6. ex Impp. ſtatuto 7. ex Patrum & Epiſcoporum Rom. ſuffragio 8. ex adverſariorum calculo fuſiſſimê probat *Dn. D. Gerhard. de Magiſtratu* §. 441. *usq; ad* §. 452.

§. 11. Ex quibus quæ in contrarium profert Bellarminus in fumum abeunt.

§. 12. Maximê verô ſi addantur, quæ hac de re habet *Guilielmus Barclajus in libro ſæpius laudato. & in libris 6. de regno & regali poteſtate adverſus Buchananum, Brutum, Boucherium, & reliquos monarchomachos.* Item *Scriptum Francofurti ad Moenum editum Anno* 1612. *ſub titulo: Varia tam Facultatis Theologicæ & Curiæ Pariſienſis, quam aliorum Theologorum & ICtorum opuſcula, decreta & cenſuræ. item commonefactiones & poſtulata Regiorum in Galliâ cognitorum, quibus primarium Jeſuit. fidei caput de Rom. Pontif. poteſtate ſuper omnes Reges & Principes, eorumq; ſubditos, regna & principatus evertitur, & de legitima inſuper judicum ſecularium poteſtate in perſonas Eccleſiaſticas agitur.* Itē ſcriptum ibid. editum An. 1607. ſub titulo: *Pauli 5. Papæ ex communicationis ſententia adverſus Sereniſſ. Ducem & Senatum ac univerſum dominium Venetum, ob decreta ſua 1. de non alienandis bonis immobilibus in perſonas Eccle-*

ſiaſticas. 1. de non erigendis de novo Monaſteriis. & c. 3. de judicandis & puniendis Clericis pro criminibus gravibus & atrocibus. Et pro iisdem diverſorum graviſſimorum Sereniſſ. Reip. Venetæ cum Theologorum tum ICtorum reſponſiones &c. Item *Defenſor Pacis Marſilii Patavini, inprimis part. 2. c. 5. Wittakerus adverſus* 40. *demonſtrationes Nicolai Sanderi. David Pareus in tract. de jure Regum & Principum. Autor bruti fulminis. Johannes Epiſc. Roffenſis, & Arniſaus in pecul. tract.* Confer & Excell. *D. Jac. Mart. l.* 2. *Polit. c.* 24. *Balduin. in Caſ. conſc. l.* 4. *c.* 12. *caſ.* 2. 3. *& caſ.* 13. 14. *Meiſner. l.* 4. *de LL. & part* 3. *Philoſ. ſobr. Alſted. in ſupplem. Panſtrat. Chamieri l.* 4. *c.* 11.

§. 13. Actum proinde agere nolumus vel aſſertionem noſtram ulterius confirmando, vel cavillationes Bellarmini tollendo, cum ex aſſertionis primæ confirmatione idipſum ſit facillimum. Quæ v. *Nicol. Sanderus l.* 2. *c.* 4. *de viſib. monarchiâ* habet, ad quæ Bellarminus pro vocat, non modo â *Wittakero l. d. ſed etiam â Barclajo c.* 35. *ſufficientiſſimè ſunt refutata.*

§. 14. Unicum tamen addendum videtur, quod Bellarminus vi ſuarum hypothes. negare non poterit. Dicit ergo ipſe *libro.* 5. *juſtific c.* 14. §. 3. *Omnibus Eccleſiæ filiis ſatis abundè ſufficit Pontificis Maximi autoritas. & lib.* 4. *P. Rom. c.* 2. §. *videntur.* ait, *ipſam infallibilitatem eſſe in ſolo Pontifice.* addit ſub finem: *Parum prodeſſet, ſcire, Pontificem non erraturum, quando non temere definit, niſi etiam ſciremus, non permiſſuram Dei providentiam, ut ille temerè definiat.* Quod porrò ita declarat *c.* 5. §. 1. *propos* 3. *Non ſolum in decretis fidei errare non poteſt S. Pontifex, ſed neq; in præceptis morum, quæ toti Eccleſiæ præſcribuntur, & quæ in rebus neceſſariis ad ſalutem, vel in iis, quæ per ſe bona vel mala ſunt, verſantur.* Quod §. *ult.* ita declarat: *ſi Papa erraret, præcipiendo vitia, vel prohibendo virtutes, teneretur Eccleſia credere, vitia eſſe bona & virtutes malas, niſi vellet contra conſcientiam peccare.* Subſumo: atqui Pontifex Romanus v. g. *Nicolaus* 1. *C. cum ad verum. diſt.* 96. Confer C. *In ſynodo diſt.* 63. & præter alios *Gregorius l.* 3. *Epiſt.* 61. Imperatorem Dominum ſuum agnoſcit, indignum ejus ſervum ſe vocat, eidemq; obedientiam ſe debere fatetur, Confer *lib.* 4. *Epiſt.* 31, *& lib.* 2, *Epiſt.* 65. Ubi fatetur,

Principi

Principi datam poteſtatem non tantum ſuper milites, ſed etiam Sacerdotes &c. Ergo, *juxta ipſum Bellarmin.* hoc omnibus Eccleſiæ filiis ſufficere debet, adeoq; & ipſi.

ASSERTIO III. SEU CONCLUSIO.

E. Omnis Clericus ſubeſt Magiſtratui Politico, eidemq; debet obedientiam.

Id quod erat probandum. Coronidis loco annectere placet, quiſnam fuerit eventus diſputationis Bellarm. de hac materiâ. quod ex *Gulielmi Barclaii*, teſtis ſatis probati, verbis optimè cognoſcitur. Is ergo in *libro* ſæpius laudato *de poteſtate Papæ c.* 13. ab initio ita habet: *Nemo omnium Pontificiæ partis rationes aut diligentius collegit, aut argutius propoſuit, aut brevius & ſubtilius concluſit, quam inſignis Theologus Bellarminus, quem honoris cauſa nomino, qui licet, quantum honeſtè potuit, & plus etiam quam debuit, Papæ autoritati in temporalibus tribuit, ſatis facere tamen non potuit ambitioni imperioſiſſimi hominis Sixti V. qui ſe ſupremam in omnes Reges & Principes univerſæ terræ, cunctosq; populos, gentes, & nationes, non humanâ, ſed divinâ inſtitutione ſibi traditam poteſtatem obtinere affirmabat.* (in Bulla contra Henric. 3. Franciæ Regem) *Imò, parum abfuit, quin omnia Doctoris illius opera, quæ hæreſin ſummo hodie ſucceſſu oppugnant, Pontificiâ cenſurâ magno cum Eccleſiæ detrimento aboleret, ut illius ordinis Patres, cujus tunc erat Bellarminus, ſeriò mihi narrarunt.* Hæc ille.

COROLLARIA

I.

Fabulam eſſe, quæ de Johannâ Papiſſâ ultra XLIX. autores aſſerunt probatiſſimi, (Confer *Gerhard. de Eccleſiâ §. 197.*) rationes â Bellarmino *lib. 3. de R. P. c. 24.* adductæ nondum evincunt. nec XVII. illæ, quas Jeſuita Georgius Schererus *in tractatu peculiari German. in 4. Moguntiæ edito Anno 1585.* produxit,

383

II.

Conſtantiniana Donatio aſſerta in Jure Canonico, *C. Conſtantinus Diſt. 96.* nec negata â Bellarmino 2. R. *Pont. 17. §. hæc omnia. & lib. de Tranſlat. Imper. §. quinto Illyricus.* nulla eſt, non diffitentibus ipſis Pontificiis. *vid. autor bruti fulminis. & Reink. de regimin. ſecular. & Eccleſiaſtic.*

III.

Bellarmini encomium, libro Heſhuſii de 600. erroribus Pontificiis aſſignatum (ſcilicet eundem *multo verius inſcribi de ſexcentis mendaciis Lutheranorum, cum nihil ferè contineat aliud, niſi apertiſſima craſſiſſimaq; mendacia. lib. 1. de grat. & lib. arb. c. 3. §. 2.* quod repetit *l. 3. de Rom. P. 22. §. 1. & lib. 2. de Indulgent. 7. §. 1. & de Sacram. in gen. c. 6. §. 1*) ipſius libris de Translatione Imperii, ſuo modo, rectius accommodari poſſe videtur. Quam verè enim v. g. *l. 1. de Tranſlat. Imp. c. 12. §. porro divino.* dicat: *Lutherani, dum Germanicum Imperium Antichriſti miraculum eſſe contendunt, Germaniam ſuo legitimo Imperio ſine dubitatione ſpoliare nituntur* Confer *l. 5. de Rom. P. c. 8 §. ad primos. Lutherani, ſicut populum fide & religione ſpoliaverunt, ita quoq; Imperatorem ſuum de ſede ſua deturbare moliuntur;* Id vel præſens hæc oſtendit diſputatio.

BIBLIOTECA V. E. ROMA VITTORIO EMANUELE

DEO GLORIA.